



[...]anciscus

Lubranse Academicae scholae Posn: Spolium maturae virtutis ferali Mortis audacia in luctuoso occasu Francisci Cielgowski.



SPOLIVM
MATVRÆ VIRTVTIS
ferali Mortis audacia in luctuoso
Occasu
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI.
D.D. FRANCISCI
DE CIELGOWO
CIELGOWSKI
CANONICI POSNANIENSIS CVRATI BVCOVIENSIS
in feralem tumbam
DETRVSVM.
& Depositionis eius feriâ

in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi
expansis Cælum versus manibus Gentilitij
RAWICZ
VINDICATVM.
Lugubri & extemporaneo calamo in Fauentissimum Mecænatem
A Lubransciana Academica Schola Posnaniensi
in
ÆTERNITATIS CAPITOLIO.
APPENSVM.

Anno Spolium de morte ferentis Dei. 1685.
Die 18. Mensis Septembris.

POSNANIÆ in Typ: Adm: Rndi D. ALBER. LAKTANSKI

SPOLIVM

Nunquam vel votis vel manibus tuis
cessit gloriosius quàm Virtus
C R V D A M O R S!
Æmula ei inuidia, Tu hostis:
quæ tamen marcescit sine alterutro.
Tuo impetu conteritur, vt resurgat perennior.
& quæ *nunquam Vera finem scit*, vt pereat euomis rabiem.
& quæ *semper clara æternaq; habetur*,
vt quandoq; obscurior euanescat,
cum Dite moues Acheronta.
ast o infamis audacia!
VIRTVS Libitinæ scopulus.
cui non alia ab hominibus plaga funestior,
quàm quòd non totos tollat.
nam sine Virtute.
Tu ipsa
rabidioribus agitata Furijs, agis hodie Harpiam,
hostem VIRTVTIS egisti

PERILLVSTRIS & REVENDISSIMI

D. FRANCISCI

CIELGOWSKI

fædè vt prostrata triumphandi postem
Gentilitio RAWICZ
hodie reserares.
In ferali Libitinæ atrocis macello
quæ æuiternas merebatur Lauros, tristi appenderas Cupresso
eius VIRTVTEM,
Vt tandem
quæ aliunde *Spolia ampla refers* in Vno *ad Lapidem*
Angularis PETRÆ pedem offenderes

FRANCISCO.

Apocalipticam Te æquo citiùs aliena auferentem Ocypeten
plla

pallido grassantem in equo, cui titulus MORS, nuper cum virtute exultantē:
hodie VRSINA -- VIRAGO prostrauit; Vt sic
Vel VRSVS etiam ipse insolenti Bucephalo Tuo illuderet,
Aperite portas Principes, & eleuamini portæ æternales
& introibit Victor cum Virtute,
semper in Virtute rectè glorians.
Non soli licuit CHARMO ad suæ valuas Academiæ
ARAS AMORIS erexisse,
postquam FRANCISCVS prima iuuentæ rudimenta
CRACOVIENSI ACADEMIÆ consecrans,
iam Triumphales Virtuti ARCVS erexit,
Vt ad Crucigera SCEPTRA
in CRVCIS signo
gloriosè VRSINA bellaret VIRTVS,
tandem in maturo gloriosiùs triumphatura.
Prætextatum Philosophica NOSCOVII Domus suscepit,
Togatum expediuit FRANCISCVM:
Vt iam inter pueriles bullas, triumphatrix in scholis
togata graderetur VIRTVS:
& in Libertatis Auitæ campo, in Libertatis Schola enutrita
VRSINO -- VIRAGO,
eò nobiliores ageret posthac triumphos, quò feruentiùs exarmata
prodiret in vitæ Olympia HEROINA.
Fasciatos quondam stupuit Polonia Halicienses Heroës,
simul inter hostilia altè gementes hastilia,
hodie RAVVICIANAM Camillam in Fascia triumphantem
in hoc vno adorauit,
qui redimitus in Sapientiæ Regno tempora, meruit
ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI
ALBERTI THOLIBOWSKI
EPISCOPI POSNANIENSIS
Fasciâ & complecti & coronari.
vt sicut Ioas in Fascia ab Hebræis Salutatur Rex,
Sic Franciscus in Fascia Magnus.
Suus Alexandro Ephestio á Secretis, Nisus Euryalo ab amore
ALBERTO noster FRANCISCVS, ab vtroque:
Vel ex inde, quòd Tutelaris D. eius Sacram Familiam
Cathedrali confinem angulo & eduxit,
& Honori eius Votiuas cum oblatione Immaculati Agni
preces diei secundæ sabbathi, consecrauit.
Expedijt tandem Fasciatam in VRSO, Cybelen Deorum
& gratiarum Matrem, non de liuidis fraternæ æmulationis
insidijs, de lubricis splendentis Aulæ fauoribus,
triumphum agentem, non cristatis Leonum, vel infrenibus
Elephantum ceruicibus, Gentilitio Duce VRSO
in Capitolium promoueri,
promoueri in CAPITVLVM
POSNANIENSE REVERENDISSIMVM.

Et iam in Triumphante CAPITOLIO CATHEDRALI aget,
Zelantem pro Ecclesia Pompilium. Fidelem pro Patria Æmilium.
Prouidū pro bono Capitulari Triptolemum. Feruentē pro Academia Robertū.
Magni Consilij Catonem. Pietatis, Humanitatis,
Virtutis immo totius Magistrum.
Quoties decus Ecclesiæ clamabant lapides
toties renatum FRANCISCVM, labentem non Lateranensem
Basilicam, in vna BVCOVIENSI æde, loquor cunctas
sustentantem inuenit Pietas.
Quoties in meritum Amplissimi CAPITVLI cum
emerita promouebat virtus, ita pronos semper
oneribus subdidit humeros, ut tandem illi
grandi oppressi mole, solius
vitæ non virtutis hodie
prosternerent columnam.
Amor SERAPHICO FRANCISCO
plantas pedum, centrum cordis, manuum perforauit media,
Humanitas CANONICO FRANCISCO ea,
quæ non pectus candoris in amicos, totum nudauit eum.
Loquax in se ursus hæc in aliis etiam personat.
uel inuiti dicite, quos affectus iunxit mensæ,
Vnam sustecturam panis buccellam & Mundo & FRANCISCO
audiuimus, hodie vidimus.
Eheu MAGNE VIR omni maior laude!
vtinam his virtutibus Tuis virentibus, ipse Taxo,
ipse Caprifico non litauisses!
Feralis Astrorum illucescit dies, quòd absq; aspectu,
Feralis ei, quòd vitæ inimicus:
ita Feralis verè iam feralis.
Sextum supra 10 Phæbus quadrigis peragrat orbem diei
Mensis Septembris, ille diem acturus hunc,
properauit ad Solis Iustitiæ æternum Meridiem.
Vicit bellantem Iacob Angelum, sed rutilante Aurora:
Vicit FRANCISCVS omnem furentis Parcæ astum, ast exortū Auroræ,
tertiâ mediæ noctis horâ in Nomen SSMÆ TRIADOS,
Sacris armatus præsidijs descendit in arenam bellaturus,

Venit, Vidit, Vicitq;.

adq; eluso Mortis stratagemate, in æternum vt viueret Victor,
meruit ipsâ Anniuersariâ die parentationis illis, quorum ad Plateas occasus
vel (ne Græca loquenti Græca detur fides) ipsa Resurgentis
Dei die, Manibus Gentilitij RAVVICZ vindicatum à Morte,
in Æternitatis appendi CAPITOLIO

MATVRÆ VIRTVTIS

SPOLIVM.

